

lateranensis et canonicos omnes recipit ad osculum pacis. Quibus finitis ascendit ad palatum Lateranensem et cum suis celebrat solemne convivium suis moribus et caerimoniiis. Deinde si placet recurrit ad palatum apostolicum in cameras suas.

Nota quod Carolus quartus coronatus fuit Romae per dominum Petrum episcopum hostiensem quem ex Avinione Innocentius sextus nuncium apostolicum ad hoc miserat et per dominum Egidium de Albano tituli sancti Clementis presbyterum cardinalem ac legatum apostolicum in Italia anno salutis 1356 sexto nonas aprilis ut ex litteris ipsius Karoli quae adhuc extant et registratae sunt in archiviis ecclesiae publice patet. Voluit tamen idem pontifex quod cardinales praedicti publice protestarentur domino imperatori quod propter omissionem reverentiae obsequiorum, et multarum caerimoniarum quae pertinent ad personam romani pontificis non esset aliquo modo derogatum privilegiis et honorificentiis romanae sedis et suorum successorum; et de hac protestatione et consensu imperatoris exigenter quadruplices litteras regalibus et imperialibus sigillis munitas sicut et factum est.

De triplici Imperatorum corona.

Et quoniam vulgari opinione fertur romanorum imperatorem tribus coronis ornari oportere variorum metallorum, argentea Aquisgrani in Germania, ferrea Medetiae in Lombardia et aurea Romae, super qua re clarissimus iuris consultorum sui temporis Baldus opusculum edidit mysticas metallorum significaciones solertissime interpretando non videbitur forte absurdum aliquid de ea re pro veritate ostendenda disserere. Et ut omittamus priscos illos romanorum imperatores qui toti fere orbi imperabant, ante Aurelianum, ut Eutropio placet, nulla corona nisi laurea aut ex alia aliqua felici arbore usos fuisse, nihilque gravius odisse populum romanorum quam regium nomen. Hoc vero affirmamus ante Carolum magnum; in eius personam imperium 446* translatum est a graecis in latinos neminem imperii romani coronam ex manu romani pontificis Romae suscepisse; et ut saepe a Pio secundo audivimus rerum Germaniae peritissimo, cui a manu servivimus et in historia eius austriali legimus: Caesar nullam omnino coronam accipit nisi auream, et alias quidem coronas pro variis regnis; Romae vero et a romano pontifice romani imperii coronam suscepit. Otho frisnigeatis episcopus et Federici primi

convivium in palatio Laterano

Carolus quartus fuit coronatus Romae 1356.

1356